A. D. 1926 **CURRENDA** Nrus VII

PISMO URZĘDOWE TARNOWSKIEJ KURJI DIECEZJALNEJ

ŚWIĘTO BŁ. BOGUMIŁA ROZCIĄGA SIĘ NA CAŁĄ POLSKĘ

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Vladislavien. Quum per Decretum diei 27 Maji anni universalis Jubilaei 1925, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XI confirmatus est cultus ab immemorabili Beato Bogumilo praestitus, praesertim in dioecesibus Vladislaviensi et Gnesnensi, Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis una cum Revmo Episcopo Vladislaviensi et toto Camaldulensium Ordine a Sanctissimo Domino Nostro supplicibus votis efflagitavit approbationem Officii et Missae proprii necnon elogii pro Martyrologio, quorum schema Sanctioni Apostolicae demisissime subiecit. Humiliter insuper Praefecti Praesules postularunt, ut in tota Polonia festum Beati Bogumili celebrari possit quotannis die probabili eiusdem transitus, die nempe decima junii, sub ritu duplici majori, pro Dobrovia vero, ubi Beatus ortum duxit et pro Uniejovia, ubi sacrae eiusdem custodiuntur reliquiae, sub ritu duplici secundae classis. Quamobrem, ad juris tramitem, cum Emus et Revmus Dnus Januarius Granito di Belmonte Causae Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis exhibitum Officii et Missae Proprium et Elogium proposuerit: Emi et Revmi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, re mature perpensa, votoque exquisito R. P. D. Angeli Mariani, S. Fidei Promntoris, rescribendum censuerunt: Pro gratia, et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei. Die 16 Decembris 1925 a.

Demum revisione rite paracta, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio XI ab infrascripto Domino Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacri eiusdem Consilii ratam habens, infrascriptas variationes in Officio et Missa necnon Elogium pro Martyrologio suprema Auctoritate Sua approbavit, et festum Beati Bogumili, Archiepiscopi Gnesnensis, quotannis die 10 Junii in universa Polonia suo ritu duplici majori, Dobroviae et Uniejoviae sub ritu dupici secundae classis, celebrandum indulsit. Die 17 Decembris eisdem mense et anno.

A. CARD. VICO, Ep. Portuen. Praef.

STATUTA „UNIONIS CLERI PRO MISSIONIBUS"

PROMULGANTUR STATUTA GENERALIA PIAE UNIONIS CLERI PRO MISSIONIBUS ATQUE SUMMARIUM SPIRITUALIUM FAVORUM QUIBUS EIUSDEM UNIONIS SODALES FRUUNTUR

DECRETUM

Ut Pia Sacerdotum Consociatio, quae „Unio Cleri pro Missionibus" nomen habet, quamque Summi Pontifices Benedictus Pp. XV fel. mem. et Pius Pp. XI fel. regn. tam valide commendaverunt, ubique nationum rite et secundum optata erigatur, visum est

huic Sacrae Congregationi de Propaganda Fide Statuta generalia recognita in vulgus edere, quibus ab iis standum erit qui et Summorum Pontificum votis obsecundare et favores omnes spirituales eidem Piae Consociationi concessos sibi velint comparare.

Quod si ex peculiaribus rerum adiunctis necessarium in aliqua regione visum fuerit in hoc vel illo decernendo a Statutis generalibus recedere aut aliquid eisdem addere, approbatio ab hac Sacra Congregatione omnino praerequirenda erit.

Faxit vero Deus O. M. ut omnes sacerdotes ad suum amorem erga Missiones magis magisque fovendum huic Piae Consociationi sese adscribere libentur velint.

Datum Romae, in aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 4 aprilis Festo Resurrectionis D. N. Iesu Christi, an. 1926.

L. † S. G. M. CARD. VAN ROSSUM, *Praefectus*

† F. MARCHETTI SELVAGGIANI, ARCH. SELEUCIEN., *Secretarius*

STATUTA GENERALIA

I. DE NATURA ET FINE

1. Pia Unio Cleri pro Missionibus est associatio sacerdotum ad sacras Ecclesiae missiones adiuvandas instituta, prout num. 4 circumscribitur.

Haec Pia Unio a S. Sede probata fuit multisque ac singularibus favoribus et privilegiis aucta.

2. Beatissimam Virginem Mariam, Apostolorum missionumque Reginam, patronam veneratur ac sub eius singulari patrocinio finem sibi propositum prosequitur.

3. Pia Unio ad normam canonis 708 Cod. iur. can. in singulis dioecesibus erigenda est.

4. Haec Pia Unio sibi proponit animum sacerdotum gentium conversionis amore accendere, ut per ipsos universus populus christianus studio erga missiones catholicas pariter inflammetur et ita tota Ecclesia concurrat ad regnum Christi per universum mundum dilatandum. Unio missionaria itaque Cleri non est novum quoddam Opus missionale ad fidelium oblationes colligendas institutum neque pro fine habet aliorum Operum missionalium gubernationem sibi assumere, licet operam impendat ad fidelium animos disponendos ita ut omnibus Operibus missionalibus pro viribus succurrant.

5. Piae Unionis socii finem sibi propositum hisce praecipue mediis assequi student:

a) Fervidis ad Deum O. M. precibus pro felici sacrarum missionum exitu propriaeque in favorem missionum operae succesu;

b) cognitione missionum earumque indigentiarum, laborum apostolicorum qui in variis mundi plagis a Missionariis sustinentur, felicis vel minus laeti eorum exitus, itemque omnium earum rerum quae ad regnum Dei imprimis inter paganos dilatandum referuntur;

c) collationibus congressibusque sociorum, quibus mutuo se illuminent circa missionum indigentias atque ad eis subveniendum vicissim se exhortentur;

d) fovendo in familiis christianis vocationes missionales, sive ad sacerdotium sive ad munus adiutoris aut adiutricis Missionariorum;

e) monendo christifideles qua sacris concionibus, qua publicis conferentiis, ut vocant, qua privatis colloquiis et adhortationibus, qua scriptis in vulgus editis, aliisque opportunis mediis, de magno opere evangelicae praedicationis inter infideles, et de variis modis quibus catholicarum missionum necessitatibus succurri possit;

f) offerendo libenter adiutricem operam suam iis qui Operibus missionalibus praepositi sunt:

g) naviter operam dando ut omnibus innotescant et ubique promoveantur Opera missionalia, imprimis ea quae a Sede Apostolica tanquam sua agnita sunt et Motu proprio *Romanorum Pontificum*, diei 3 maii 1922, prae caeteris commendata fuerunt. Ea sunt, ante omnia, magnum Opus a Propagatione Fidei, Opera auxiliaria a Sancta Infantia, a Sancto Petro Apostolo pro institutione Cleri indigenae, et Collecta annua in festo Epiphaniae pro redemptione captivorum, seu pro missionibus Africanis; neque omittendo peculiares collectas pro determinatis regionibus vel missionibus aut pro singularibus indigentiis quae in missionibus forte occurrant fidelibus commendare.

h) promovendo festa, ut dicunt, missionalia, conventus seu congressus, aliaque id genus, quibus christifidelium studium erga missiones magnopere accendatur et accrescat.

II. DE SODALIBUS

6. Piae Unioni Cleri pro Missionibus adscribi possunt omnes sacerdotes cum saeculares tum regulares, necnon clerici qui sacrae theologiae studiis incumbunt.

7. Adscriptio fit sive a Consilio dioecesano, sive a Consilio regionali, sive, his deficientibus, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

8. Ipsa adscriptione suscipiuntur onera Piae Unionis propria, et acquiritur ius ad indulgentias lucrandas et ad favoribus privilegiisque fruendum, quae a Sancta Sede Piae Unioni concessa sunt. Sciant tamen sodales non sufficere nomen dare Piae Unioni, sed naviter et fideliter exsequenda esse ea officia, quae nomen dando susceperunt, si gratiis Piae Unioni ab Ecclesia concessis vere frui desiderent.

9. Sodales ordinarii vocantur, qui praeter caetera Piae Unionis officia praestita, statutas a Consilio regionali contributiones quotannis solvunt.

10. Sodales perpetui, qui similiter, praeter fidelem officiorum satisfactionem, semel contributionem maiorem ad hoc a Consilio statutam exsolvunt.

11. Sodales *honoris causa* sunt Revmi Domini Episcopi, nec non S. R. E. Cardinales, qui Piae Unioni adhaeserunt.

12. Omnes sacerdotes qui actu in missionibus degunt vel valetudinis, senectutis aut obiedientiae causa eas relinquere coacti sunt, omnibus privilegiis et gratiis Piae Unioni concessis gaudent.

13. Pia Unio Cleri pro Missionibus a Sacra Congregatione de Propaganda Fide omnino dependet.

III. DE CONSILIIS

14. In unaquaque regione Piae Unioni proxime praeest Consilium regionale et in singulis dioecesibus Consilium dioecesanum.

A) *De Consilio regionali*

15. Consilium regionale constat Praeside et quibusdam Consiliariis, quorum alii e Directoribus diocesanis, alii ex Institutis missionalibus, si quae in regione adsint, assumuntur.

16. Praeses Consilii regionalis a Sacra Congregatione de Propanda Fide nominatur. Episcopi regionis nomen vel nomina candidatorum, ut plurimum ex regionis Ordinariis delectorum, eidem Sacrae Congregationi proponunt.

17. Consiliari eliguntur a Praeside, collatis consiliis cum Ordinariis locorum, si de sacerdotibus saecularibus, et cum Moderatoribus Regularium, si de Religiosis agitur.

18. Consiliarii per tres annos in officio manent sed iterum eligi possunt.

19. E Consiliariis unus officium Secretarii alius Arcarii munus obibit, munera vero ab utroque praestanda, praeterquam ab officii natura, a Praeside statuuntur.

20. Consilii regionalis est omni studio Piam Unionem in regionem promovere, stipem statuere a sodalibus ordinariis aut perpetuis solvendam, examinare atque recognoscere rationes accepti et expensi a dioecesanis Consiliis, Consilia dioecesana in eorum propria actione adiuvare ubi opus est, congressus Piae Unionis totius regionis indicere et alia huiusmodi.

21. Quotannis Consilium regionale semel saltem convenit, convocante Praeside.

22. Sedes Consilii regionalis a Praeside statuitur.

B) *De Consilio dioecesano*

23. Piae Unioni Cleri pro Missionibus in singulis dioecesibus praeponitur Consilium dioecesanum, constans Directore seu Moderatore et Consiliariis, quorum unus Secretarii, alius Arcarii munere fungitur.

24. Tum Director tum Consiliarii ab Ordinario loci nominantur et ad illius nutum in munere permanent.

25. Consilii dioecesani est Piam Unionem in dioecesi promovere, curare ut omnes saeerdotes illi nomen dent, et praecipue ut omnes adscripti, studio erga missiones animati, sanctum Associationis finem actuose prosequantur.

26. Consilium dioecesanum bis in anno congreditur et praeterea quoties Director illud convocare opportunum duxerit.

27. Moderatoris dioecesani est, ineunte quoque anno, facta prius dioecesano Consilio relatione, transmittere ad regionale Consilium accepti et expensi nec non rerum actarum rationem adprobandam una cum indice novorum adscriptorum.

28. Secretarius omnium actorum instrumenta conficiet tum conventus Consilii tum congressuum diocesanorum, tum etiam rerum notabilium ad Piam Unionem in dioecesi se referentium.

29. Arcarii munus est colligere contributiones a singulis membris solvendas, pecunias fideliter administrare et de iis quotannis Consilio dioecesano rationem reddere.

30 Sedes Consilii dioecesani a Moderatore seu Directore, de consensu Ordinarii, figitur.

IV. DE CONGRESSIBUS

31. Congressus regionalis omnium adscriptorum Piae Unionis Cleri pro Missionibus, totius nationis seu regionis, semel saltem singulis quinquenniis locum habebit, vicissim in locis regionis praecipuis, ad arbitrium Praesidis.

32. Si forte ob rationes peculiares extra ordinem censeatur convocandus congressus, Praeses, adprobante Consilio regionali, Directores dioecesanos convocabit, eorumque deliberationi proponet.

33. In congressibus ordinariis Secretarius Consilii regionalis de iis referet quae ab ultimo Congressu memoratu digna acciderint.

34. Arcarius vero rationem reddet de statu oeconomica Piae Unionis in regione.

35. Congressus regionalis deliberabit de Piae Unionis statu, de mediis idoneis quibus adscriptorum amor et studium erga missiones sustineatur et augeatur, de rebus et de quaestionibus Consilio regionali proprositis et ab ipso tractandis admissis; de postulationibus a Moderatoribus Operum missionalium oblatis et de ceteris huiusmodi. Absque explicito Consilii regionalis consensu non licebit disserere in conventibus de rebus ordine praestituto non comprehensis.

36. Congressus dioecesanus semel saltem singulis bienniis celebrabitur; extra ordinem a Directore, audito Consilio et adprobante Ordinario, ob iustas causas convocari poterit.

37. Congressus dioecesanus similibus regitur praescriptionibus ac Congressus regionalis.

FAVORES SPIRITUALES

I. Indulgentia plenaria, suetis sub conditionibus lucranda, in festis: 1. Epiphaniae, 2. SS. Apostolorum, 3. S. Michaelis Archangeli, 4. S. Francisci Xaverii, 5. semel in mense, die ad proprium cuiusque arbitrium eligenda, 6. In articulo mortis, servatis servandis.

II. Indulgentia centum dierum pro quolibet pietatis opere in favorem Missionum expleto.

III. Facultas (dummodo adscriptus ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus):

1. Benedicendi extra Urbem, unico Crucis signo, coronas, rosaria, cruces, crucifixos, numismata et parvas statuas cum applicatione Indulgentiarum Apostolicarum (Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1922, p. 143); 2. benedicendi, unico Crucis signo, coronas iuxta typum rosariorum B. M. V. confectas, cum applicatione indulgentiarum, quae a PP. Crucigeris nomen habent; 3. benedicendi ac imponendi, servatis ritibus ab Ecclesia praescriptis, scapularia Passionis D. N. Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis, B. M. V., SS. Trinitatis, B. M. V. Perdolentis, B. M. V. a Monte Carmelo, ab Apostolica Sede approbata (Cfr. infra n. VII); 4. benedicendi, unico signo Crucis, crucifixos cum applicatione indulgentiarum pii exercitii a *Via Crucis* nuncupati in favorem fidelium, qui quominus sacras visitent „Stationes" legitime impediuntur; 5. benedicendi, unico signo Crucis, crucifixos, iisdemque applicandi plenariam indulgentiam in articulo mortis ab iis acquirendam, qui praescriptis expletis conditionibus, illos osculati fuerint aut saltem aliquo modo tetigerint (Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1914, p. 348).

IV. Indultum personale Altaris privilegiati, quater in qualibet hebdomada, dummodo simile indultum pro alia die non obtentum fuerit.

(Haec omnia per S. Poenitent. 15 Nov. 1918. Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1919, p. 20)

V. Facultas (dummodo, ut supra, ad sacramentales confessiones audiendas adscriptus sit adprobatus) benedicendi coronas Septem Dolorum B. M. V. cum applicacatione omnium et singularum Indulgentiarum, quas Summi Pontifices eiusmodi coronis impertiti sunt.

VI. Facultas, ut supra, benedicenti ac imponendi, sub unica formula, scapularia, quae ut Sodales Piae Unionis imponendi facultate gaudent (Ex Audientia SSmi Emo Praefecto S. Congr. de Prob. Fide concessa die 20 Martii 1919. Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1919, p. 179).

VII. Facultas imponendi scapularia de quibus supra, absque inscriptionis onere in album Confraternitatis (Ex Audientia SSmi Emo Praefecto S. C. de Prop. Fide concessa die 4 martii 1920).

VIII. Facultas pro omnibus adscriptis anticipandi a meridie recitationem Matutini cum Laudibus subsequentis diei, dummodo tamen officium diei iam persolverint (Ex Audientia SSmi Emo Praefecto S. C. de Prop. Fide concessa die 1 Decembris 1921. Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1921, p. 565).

Casus reservati in Dioecesi et cui competit facultas ab eis absolvendi

In memoriam revocamus, quae iam antea de reservatione casuum statuimus et quidem:

I. Sequentia peccata jurisdictioni Nostrae reservata sunt: 1. Homicidium voluntarium. 2. Incestus in primo consanguinitatis vel affinitatis gradu. 3. Periurium in foro sive ecclesiastico sive civili solemniter emissum. 4. Violenta manuum injectio in parentes, avum et aviam.

II. Ab his dictis sine facultate vel ipso jure generaliter concessa vel e speciali delegatione a Nobis obtenta prohibemus absolvere sub ponea Canone 2366 comminata.

III. Veruntamen, ne gravia incovenientia ex reservationibus utilibus quoque ac necessariis in peculiaribus quibusdam rerum adiunctis oriantur, e delegatione Nostra a reservatis absolvere usque ad revocationem possunt et valent: 1. Canonici cathedrales. 2. Omnes Decani foranei cum jure subdelegandi ad singulos casus. 3. Omnes Vicedecani. 4. Parochi locorum: Biecz, Bochnia, Brzesko, Dębica, Gorlice, Grybów, Kolbuszowa, Limanowa, Mielec, Nowy Sącz, Pilzno, Ropczyce, Tarnów; balneorum: Krynica, Szczawnicca, Żegiestów — et enumeratorum parochorum seniores vicarii necnon director sacristiae cathedralis. 5. Rectores Congregationum sive Ordinum religiosorum in Nostra Dioecesi exsistentium eorumquae Vicesgerentes. 6. Sacerdotes dioecesani, quos Decanus in solemnitate parochiali cum indulgentia plenaria celebrata subdelegavit. 7. Tandem unusquisque Sacerdos dioecesanus, jurisdictione provisus, in sequentibus casibus gaudet facultate absolvendi a reservatis: a) in confessione: paschali; b) tempore missionum et recollectionum parochialium; c) aegrotorum, qui domo egredi non valent; d) sponsorum confitentium matrimonium ineundi causa; e) quoties absolvendi facultas peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; f) subditorum alienae dioecesis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex ea disceserit (Can. 899—900) et insuper; g) in confessione: generali necessaria vel ad quietandam conscientiam valde utili; h) militiae vacantium vel militiae servitia adeuntium; i) emigrantium; k) mulieris partui proximae; l) in communibus confessionibus juventutis scholarum et m) in solemnitatibus cum indulgentia celebratis in Tuchów, Odporyszów et in Kobylanka.

Parafje wojskowe

Na podstawie rozdz. VII konkordatu zawartego między Stolicą Apostolską a Rzecząpospolitą Polską, zostały na terenie diecezji tarnowskiej wprowadzone w życie z dniem 1 maja b. r. następujące parafje wojskowe:

a) Parafja wojskowa Tarnów pod wezwaniem św Wojciecha (dekret erekcyjny Nr. 3267/26 z 27/4 b. r.) Obejmuje powiaty: Tarnów, Dąbrowa, Brzesko, Bochnia z wyjątkiem Niepołomic.

b) Parafja wojskowa Nowy Sącz pod wezwaniem św. Jerzego (dekret erekcyjny Nr. 3264/26 z 27/4 b. r.) Obejmuje powiaty: Nowy Sącz, Nowy Targ, Grybów, Gorlice, Limanowa.

Porów. Kurendę VI ex 1926 „Statuta" pro cura spirituali exercitus poloni.

Kapłani należący do rezerwy wojskowej

Kurja Biskupia Wojsk Polskich przy Ministerstwie Spraw Wojsk. ul. Miodowa 24, Tel. 109-44, L. dz. 4460/26. Warszawa, dnia 14/VI 1926. Do Kurji Biskupiej w Tarnowie. Celem umożliwienia szybkiego powołania duchowieństwa wojskowego rezerwy do służby duszpasterskiej w wojsku na wypadek mobilizacji oraz ujęcia go w ewidencję przez Władze wojskowe, proszę Najprzewielebniejszą Kurję Biskupią o ogłoszenie w swoim organie urzędowym polecenia, by księża należący do rezerwy, powiadamiali każdorazowo w wypadku zmiany miejsca stałego pobytu do 48 godzin odnośną Powiatową Komendę Uzupełnień oraz Kurję Biskupią W. P. — W z. Biskupa Polowego W. P. Ks. Dr. Jachimowski m. p. Dziekan W. P.

Mszę św. na intencję osób wpisanych do diecezjalnego Związku mszalnego

odprawią w II półroczu b. r. t. j. do 31 grudnia 1926 następujący P. T. Kapłani:

1. Lassowski, 2. Sroka Józef, 3. Sroka Michał, 4. Dr. Stanczykiewicz, 5. Stańczyk, 6. Stary, 7. Starzec, 8. Staszałek, 9. Stawarz, 10. Stawiarski, 11. Stefanowicz, 12. Stefański, 13. Steinsdorfer, 14. Stosur, 15. Strzępek, 16. Sulisz, 17. Sulma Fr., 18. Sulma Paweł, 19. Superson, 20. Syper, 21. Syzdek, 22. Szatko, 23. Szczerbiński, 24. Szewczyk, 25. Szułakiewicz, 26. Szumowski, 27. Szurmiak, 28. Szymanek, 29. Ślazyk, 30. Śledź, 31. Śliwa, 32. Śnieżnicki, 33. Świeykowski, 34. Święch, 35. Taborski, 36. Tajduś, 37. Tokarz, 38. Trojnacki. 39. Trytek Władysław, 40. Trytek Wojciech, 41. Ułatowski, 42. Wachowicz, 43. Walczyński, 44. Waleń, 45. Wałek, 46. Wałęcki, 47. Warchałowski, 48. Warecki, 49. Wawrzykowski, 50. Wąsowicz.

Wymienieni tu P. T. Kapłani zechcą zawiadomić Kurję Biskupią o odprawieniu Mszy św.

Rekolekcje kapłańskie

odbędą się w Tarnowie w Seminarjum duchownem od 21 września wieczór do 25 rano. Zgłoszenia przesyłać do Najprzewielebn. Rektoratu.

Jeden z kapłanów poszukuje i chce kupić Kazania Westermayera. „Kazania do ludu wiejskiego — przełożył z niemieckiego ks. Maniecki, wydanie Feitzingera w Białej r. 1859". Kto z P. T. Duchowieństwa posiada te Kazania, niech się zgłosi do Kurji Biskupiej.

Zmiany wśród duchowieństwa

Dziekanem dekanatu Bieckiego zamianowany 9 marca ks. Stanisław Horowicz, proboszcz w Sękowej

Instytuowani: ks. Roman Mazur, proboszcz w Brzesku, na probostwo w Nowym Sączu, 7 czerwca; ks. Michał Sidor, proboszcz w Szerzynach, na probostwo w Bieczu, 14 czerwca.

Administratorami zamianowani: w Brzesku, ks. Jakób Opoka, katecheta tamtejszego gimnazjum, w Szerzynach, ks. Jan Wszołek, proboszcz w Czermnej (excurrendo).

Odznaczeni Rokietą i Mantol.: ks. Stanisław Horowicz, proboszcz w Sękowej; Expositorio canonicali: ks. Franciszek Habas, proboszcz w Różnowie i ks. Andrzej Piś, proboszcz w Tropiu.

Egzamin konkursowy złożył ks. Franciszek Piękoś.

Ks. Władysław Sperka, wikarjusz w Porąbce Uszewskiej, otrzymał od Ministerstwa Spraw Wewn. zezwolenie na zmianę rodowego nazwiska na „Lassowski".

Zmarli:

Ks. Józef Lenartowicz, emeryt proboszcz z Lubczy, kapelan Domu Nieuleczalnych ur. w r. 1852, wyśw. 1877, zmarł w Tarnowie, 3 czerwca; ks. Roman Skwirut, wikarjusz w Witkowicach, ur. w r. 1888, wyśw. 1911 zmarł 21 czerwca w Czarnej ad Sędziszów.— S. pr. adscr.

R. i. p.!

Z KURJI BISKUPIEJ

W Tarnowie, dnia 25 czerwca 1926

† LEON
Biskup

Ks. Roman Sitko
kanclerz

Nakładem Kleru Diecezjalnego Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie